



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

49. Bernardus in suo vltimo testamento relinquit hæredem Cinthiam cum onere soluendi quotannis Mariæ sorosi suæ Moniali aureos tot. Quæritur, an huiusmodi legatum sit pium in fauorem Mariæ Monialis. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

nis desumptum non procedit in exorbitantibus, atque privilegiis specialiter contra ius commune indultis *l. 1. ff. de ill. quod contra, & reg. iur. maxime cum Constantinus non de quibusvis personis miserabilibus, sed determinatè, atque in specie de certis quibusdam loquatur.*

17. Præterea non resistit quod *d. l. emic.* pauperibus succurrit secundum authorem nostrum, & ab ipso allegata hac eadem Thesi littera C. atqui studiosi sunt pauperes per Text. in *auth. habita vers. quis enim eorum C. ne filius pro patre, & ibi interp. Couar. 6. pract. q. 3.* nam respondeo propositionem negando, quoniam, ut ad præcedentem obiectionem respondimus, & *p. ox. quest.* notauimus, Constantinus pupillis tantum, Viduis & diuturno morbo fatigatis succurrit, non aliis, Non igitur aliter pauperibus, quam si & ipsi sint pupilli, Viduæ, aut diuturno morbo fatigati debilesque: equidem non inficior, quin studiosi sint homines miserabiles, & pauperes. Verum quod sint tales, atque ex illorum numero, qui Constantini constit. comprehenduntur, hoc videtur negandum; ergo. Idè etiam in casu isto tu lector cogita, nolo enim aduersus opiniones communiore Doctorum me opponere.

RESOL. XLIX.

Bernardus in suo ultimo testamento reliquit heredem Corinthiam cum onere soluendi quatuordecim Mariae sorori sua Moniali aureos tot.

Quæritur, an huiusmodi legatum sit pium in fauorem Mariae Monialis?

Ex quo inferitur, quod si relinquatur aliquid Episcopo à propinquo præsumitur esse relictum non intuitu Ecclesie, sed personæ.

Et quod si aliquid legetur consanguineo pauperi, non censetur legatum pium.

Et si dubium sit, quæ mente testator reliquerit legatum, an præsumatur in dubio ad piam causam, id est pro Deo, & animæ salute reliquisse, & non pro personâ? Ex p. 7. tr. 12. & Misc. 3. Ref. 11. alias 9.

Sup. hoc supra in Ref. 37. §. Sed ego paulo post initium, cursum vers. Dicitur. & in r. 7. tr. 3. lege doctrinam Ref. 28. & signanter §. 1. post medium, vers. Vnde. & seq.

§. 1. Videtur negatiuè respondendum ex *cap. requisisti de test. ibi.* Si verò relinquatur illud Episcopo à propinquo præsumitur esse relictum non intuitu Ecclesie, sed personæ. Quod etiam docet Mantica *de Coniect. lib. 6. tit. 14. num. 16. & lib. 12. tit. 17. num. 30.* Surdus *de Aliment. tit. 5. quest. 6. num. 8.* & alij communiter, asserentes, quod legatum factum Episcopo à consanguineo, censetur factum non intuitu Ecclesie, sed consanguinitatis. Et ratio est, quia coniectura, quæ nascitur ex causa naturali est potentior, quàm quæ oritur ex causa accidentali ut patet ex *leg. qui habent ff. de iur. & aliis iuribus.* Ergo legatum de quo loquimur factum Mariæ sorori Moniali censetur magis factum intuitu personæ, quàm pietatis.

2. Verum his non obstantibus probabiliter puto, legatum de quo est quæstio, esse legatum relictum Ecclesie, & ideo dicendum esse factum in causam piam. Nam licet verum sit quod supra adduximus, nempe legatum relictum consanguineo Prælato, censeri relictum contemplatione ipsius, & non intuitu Ecclesie: Tamen hoc fallit, quando Prælatus consanguineus nil proprium habere possit in particulari, ut bene notauit Hunnius in *Encyclopedia iuris part. 4. tit. 75. cap. 1. num. 33.* & Menochius *de presump. tom. 2. lib. 4. cap. 112. num. 10.* nam tunc censetur factum Ecclesie. Et magis in terminis Mascardus in *probat. vol. 2. concl. 965. num. 23.* & Mantica *de coniect. lib. 8. tit. 7. num. 26.* optime docuerunt, legatum relictum Regularibus, qui proprium habere non possunt, censeri

relictum Ecclesie, & Monasterio. Cùm igitur legatum de quo loquimur sit relictum moniali, sequitur censeri relictum Monasterio, atque ideo tanquam legatum pium existimandum esse: nam ut notat Surdus *Dec. 291. num. 1.* & alij, legatum relictum Ecclesie dicitur factum in causam piam, cùm in confesso sit apud omnes Ecclesiam, & Monasterium esse piam causam, sed legatum relictum Monacho, aut Moniali, ut probatum est, dicitur relictum Ecclesie, & Monasterio. Ergo legatum pium dicitur.

3. Nec obstat doctrina Decij *conf. 120. num. 4.* Tiraq. in *l. si nunquam, verb. donationem, num. 57. Cod. de reuoc. donat.* Sanchez *de Matrim. tom. 1. lib. 1. disp. 4. num. 4.* & aliorum asserentium, quòd si aliquid legetur consanguineo pauperi, non censeri legatum pium, cùm pietatis causa censetur præualere sanguinis affectio, quæ est naturalis. Nam respondeo hanc sententiam à multis improbari, & contrariam veriorè esse, quam tenet ex multis Gutierrez *conf. 26. num. 8.* & ex Molina Portel in *Resp. part. 3. cas. 21. num. 7.*

4. Igitur cùm ex supradictis appareat saltem quæstionem hanc esse dubiam, ideo sequenda est doctrina Syluestri *verb. legatum 1. quest. 10.* Sanchez in *sum. tom. 1. lib. 4. cap. 11. num. 35.* Naldi in *sum. verb. legatum, n. 20.* & aliorum asserentium, quod in dubio, legatum aliquod sit factum intuitu animæ vel personæ, censeri factum intuitu animæ. Ergo cùm in nostro casu dubium sit an legatum relictum Mariæ Moniali fuerit ei relictum intuitu personæ, vel animæ, dicendum est censeri relictum in fauorem animæ, & non personæ. Hinc rectè docuit Solorzanus *de Indiarum iure, tom. 2. lib. 2. cap. 24. n. 124.* quod in foro contentioso si dubites quæ mente testator reliquerit legatum, præsumatur in dubio ad piam causam, id est pro Deo, & animæ salute reliquisse.

RESOL. L.

An legatum relictum alicui, si Religionem ingrediatur, sit intelligendum pro solo ingressu, an vero pro professione?

Et an obligetur heres in conscientia ad soluendum huiusmodi legatum, si salis in Religione non proficiatur?

Et an legatum concessum cum hac conditione, si Titius legibus studuerit, sit intelligendum quousque legatarius ad gradum Doctoratus peruenerit? Ex p. 10. tr. 11. & Misc. Ref. 56.

§. 1. Hoc legatum non deberi, si ille tempore conditionis prædictæ, à Testatore adducta intelligi debet cum effectu; ac proinde, ut legatum iure optimo obtineatur, deberet Legatarius Professionem emittere, docent Doctores, quos citat, & sequitur Barellus *de Conscientia, discept. 6. cap. 10. §. 18. num. 3.* Quia licet illa duo, Ingressus videlicet, & Professio sint diuersa, & sistendo in solis verbis ex vno non deberet inferri aliud: attamen, attendendo illa in ordine ad intentionem proferentis, & moraliter in subiecta materia, non semper sunt iudicanda diuersa; Et idè, dum Testator relinquit alicui legatum, si ipse legatarius, vel alius Religionem ingrediatur; reuera, & ordinata Testatoris intentio præsumitur esse ea per quam excludatur fraus: nam iudicandum est, ut velit legatum relinquere tali modo, ut fraus vitetur: si autem conditio adiecta explicetur de solo ingressu, actio ipsa esset fraudibus exposita, quia sæpe euenire posset, ut alij ad lucrandum legatum religionum ingrederentur; & in ea paucis diebus immorantes, egrederentur. Et licet dicatur, in tali casu non posse legatum tuta conscientia